

FK. 132  
4

II n  
8354

LECTORI  
S. P. D.  
GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN.

IO. HENR. DE SEELEN  
S. S. THEOL. LICENTIATI ET GYMNASII  
LVBECENSIS RECTORIS  
VITA  
MARTINI LIPENII,

RECENSUIT ILLAM,  
EDIDIT, ET NOTVLIS ILLVSTRAUIT  
GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN.

SCAEVOLA SAMMARTHANVS  
in Dedicatione Elogiorum Gallorum Saeculo XVI. doctrina  
illustrium ad IAC. AVG. THVANVM

*Forſan et e vobis aliquis quum legerit : Iſte,  
Dicit, erit noſtri pars aliquando ebori,  
Quamq̃ue aliis operam praestiat pius, iſſa merenti  
Poſteritas grata reddit amica vice.*

LIPſIAE,  
EX OFFICINA IO. CHRIST. LANGENHEMIL  
A. R. S. MDCCCXXXVII.



LECTORI  
S. P. D.  
GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN.

**M**erebatur MARTINVS LIPENIVS, uir doctrina, diligentia, meritis illustris, qui uerissimarum laudum suarum praeconem nancisceretur disertissimum SEELENIVM, praestantissimum saeculi nostri Polyhistorem, qui seris annalibus traderet fortia eius facta, et omnibus, quicumque adhuc futuri sunt, posteris memoraret uenerandum LIPENII nomen. a) Huius celeberrimi uiri de rebus gestisque LIPENII commentarium in TVAS, AMICISSIME LECTOR, manus denuo tradimus, notulis et animaduersionibus nostris illustratum. Quarum nonnullas ipsi collegimus, aliquas ex Auctore Bibliothecarii impartialis b) desumimus, nonnullas industriae et beneuolentiae uiri iuuenis eleganter docti, OLAI HENRICI MOLLERI, IO. MOLLERI filii dignissimi grato animo debemus. TV uero, DILECTISSIME LECTOR, utere hisce apparatusis, quas in TVAM gratiam instruximus, epulis, et nostram erga diuos LIPENII manes pietatem plausibus TVIS uotiuisque acclamationibus prosequere. Scrib. Lipsiae Prid. Kal. Dec. A. R. S. CIOIOCCXXVI.

- a) Descripsit uitam LIPENII SEELENIVS in Oratione, qua munus Rectoris Gymnasii Lubecensis auspiciatus est, quam postea secundis curis perpolitam auctamque Athenis Lubecensibus inferuit P. I. p. 88. In ipsa oratione l. c. p. 16. hisce de LIPENIO utitur uerbis: Neque contemnendus est MARTINVS LIPENIVS, cuius merita in Scholam nostram et uniuersam doctam rempublicam ingenii omnes recte norunt aestimare, admirantes in eo incredibilem diligentiam, quam elaboratis scriptis antiquitatem, philosophiam, rem literariam illustrantibus luculenter ostendit. Praeter SEELENIVM et summe reuerendus IOECHERSVS in Lexico biographico eruditorum, et IO. FABRICIVS in Historia bibliothecae suae P. III. p. 177. breuiter de LIPENIO disseruerunt.
- b) P. XIII. p. 30. 199.

UITA MART. LIPENII.



ARTINI LIPENII, uiri de omni re literaria praeclare meriti uitam desiderarunt multi eruditi, ad quorum manus Programma SUANTIANVM Lubecense, illam digna fide descriptam exhibens, non peruenit. Quare, vt hac occasione desiderio isti satisfaciam, facie commoueor. Protulit hunc uirum, de omni re literaria praeclare meritum, *Gorza Marchica* an. 1630. ipso festo die MARTINI, cuius nomen ei fuit impositum. Parentes nactus est GEORGIUM LIPEN ET MARGARETAM, HERMANNIAM, a quibus cum agricultura

pietas, integritas et honestas semper fuit coniuncta. Hi filium suum in *Brandenburgensem* primum, deinde *Ruppinensem* scholam miserunt, ex quo ad *Sedinense* Gymnasium est profectus, et MICHAELII aliorumque institutione egregie profecit. Doctrinae iam tum multa industria comparatae luculentum extat testimonium erudita illa Disputatio Theologica de *mirabili animae rationalis origine*, quam elaborauit, et Praefide IOACHIMO FABRICIO d. 5. April. 1650. defendit. Quum scholasticum studium multa faciendo, multa etiam ferendo absoluisset, an. 1651. mense *Mai*o *Uitebergensis* Academiae ciuis euasit, et simul summorum uiro- rum, SCHARFFII, CALOUII, IO. MEISNERI, KVNADI, QUENSTEDII, DEVTSCHEMANNI, ZIEGLERI et LEYSERI auditor, quem ob diligentiam et animum ad solidam eruditionem Theologicam pariter ac Philosophicam contententem magno amore sunt prosequuti. Imo secundo statim anno Academico sedulitatis praemio, summis in Philosophia honoribus, eum ornarunt. His insignitus, concessa alios docendi facultate prudentissime utebatur, et scholas, in quibus uel Philosophiam tradebat, uel ad humanitatis artes monstrabat uiam, aperiebat. Saepe etiam prodibat in publicum, et uel Respondens IO. ANDR. QUENSTEDII Disp. Theol. de *Praedicationum personalium in articulo de persona CHRISTI occurrentium quidditate, qualitate et ueritate* an. 1652. ABRAH. CALOUII Cap. XII. *considerat. Arminianismi*, nec non IAC. REICHMANNI Disp. Phil. de *stellis tum uisitatis quam inuisitatis* an. 1653. uel Praefes uarias Dissertationes nitide conscriptas defendebat. His rebus inclarescebat, et Doctoribus publicis *Uitebergensibus* adeo placebat, vt dignum eum iudicarent, qui splendida munia, ipsis commendantibus, modo Rectoris Gymnasii *Goettingensis*, modo Antistitis primarii apud *Modornenses* in Hungaria, modo Inspectoris *Rathenouiensis* in *Marchia* capesseret. Praeter *Corbusanos* quoque in *Lusatia*, qui Scholae suae Rectorem eum esse uoluerunt, alii ad munera scholastica illum uocarunt. Sed causas easdemque graues habuit, cur *Uitebergae* maneret. Tandem tamen dulcissimam studiorum suorum matrem reliquit, et an. 1659. *Halam* acceptus Conrectorem se creari passus est. Anno 1661. Rector quidem Scholae *Oldenburgensis* fuit designatus, sed *Hala* tamen nondum uoluit abire. Abiit autem an. 1672, quum Gymnasii CAROLINI, quod *Stettini* est, Rector et Professor constitueretur. Ibi multos habuit praestantissimos discipulos, quos inter est EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, qui LIPENIUM saepe suum in *Philosophia felix oraculum* nuncupauit. uid. summe uen. PIPPINGII P. II. *memor. Theol. p. 1422. Stettino* uenit *Lubecam* an. 1676. d. 19. April. ad Conrectoris officia exsequenda a Magnifico Senatu huius reipublicae benigne uocatus. Huius muneris et aliis grauissimis laboribus, molestiis etiam atque morbis fatigatus et plane fractus an. 1692. d. 6. Nou. beata morte ad ueram quietem peruenit, et famae hodieque per orbem eruditum uaganti merita sua, prudentiorum omnium consensu praedicanda, reliquit. Haec merita eius loquuntur scripta, *Uitebergae, Halae, Stettini* et *Lubecae* stupenda sedulitate confecta, quorum plenior, quam adhuc quidem ullo in loco habemus, heic dabo indicem. Sunt autem

Disputatio Ethica de affectibus in genere, *Uiteb.* 1655. 4.

Disp. Polit. de tyrannide, *ib.* 1656. 4.

Biga problematum Physicorum de Iridis ante diluuium existentia et sermonis in brutis carentia, *ib.* e. a.

Discursus Metaphysicus de communicationis quidditate, ueritate et uarietate, *ib.* e. a.

Disp. Metaphysica de regula, *ib.* 1657.

Disp. Metaphys. de mensura et mensurato, *ib.* e. a.

Exercitationes Aretologicae quatuor, *ib.* 1657. et 1658. 8.

Disp. Logica de prima mentis operatione, *ib.* 1658. 4.

Fasciculus Disputationum, quarum prima IONAE diaphus Thalassius ex S. historia desunt et ex Philologia illustratus; altera de nauigio SALOMONE et tertia de Ophir, *Uiteb.* 1678. 4.

*Nauigatio SALOMONIS Ophiritica illustrata, Halae 1660. 12. p. 826. In hoc libro fufus ea funt exposita, quae in praecedenti Tractatu breuiter dicta.*

*Zeitlich aber doch Christlich vnd selig abgelegte Wander-schafft H. CHRISTIANI CAROL. MYLII, I. V. D. Halae 1663. 4.*

*Der hochbeilige vnd recht seelige Christ-Tag, des am Christ-Tage gestorbenen H. CHRISTIANI RVDLOFF, Patritii, ib. 1670. 4.*

*Vnvergleichliche Creutz-Thraenen bey der Leiche FR. MARIEN CATHARINEN SCHVLTZIN, ib. 1666. 4.*

*Camera caelestis, in quam CASPAR NEEFE, Reu. ac Sereniss. Principis ac Domini, Dn. AVGVSTI, Postul. Administratoris Magdeb. Camer. publicae Praefectus translatus, Hal. 1664. 4.*

*Vale Hallensē, Gymnasio Hallensī in quo per XIV. prope annos publice docuit, d. 13. Febr. 1673. dictum, Halae 4.*

*Decas thesuum Philosophicarum, Stettin. 1673. 4.*

*Disp. publica de Philosophia, ib. e. a.*

*Progr. de DARIO MEDO, ib. 1674 fol.*

*Lithologia siue Physica lapidum consideratio, ib. 1674. 4.*

*Dissertatio historica de MARIAE ortu, ib. 1675. 4.*

*Disputatio Metaphysica de toto et partibus, ib. e. a. 4.*

*Diff. Moralis de uolentis manibus, ib. e. a. 4.*

*Orologia i. e. Disp. Physica de montibus, ib. e. a. 4.*

*Disp. Metaphys. de necessitate et contingentia, ib. e. a. 4.*

*Progr. Stettinensia in funeribus GVSTAVI ab HELMFELD (uid. summe Reu. GOETZII*

*nostri Elog. praecoc. Eruditor. p. 1. sqq. vbi integrum Programmata (uid. repetitum) LEON. AXELVON HEYCKING, BARBARAE CATHAR. ROSENHANDTIAE, ANNAE MARIAE ENGELBRECHTIAE, BALTH. BENDELII, Diaconi, DOROTH. BLANCKEN, GEORG. IAC. BLANCKEN, Med. Doctoris, ELISAB. BRVNSCHUIGIAE, ANNAE MAR. FABRICIAE, IOACH. FABRICII, Pastoris Wollinensis, DAN. FLEISNERI, uectigalium nauticorum Praefecti, GVL. FRANCKEN, Symmistae, FRID. HELVUIGII, Med. Doctoris, DAU. HERBST, Med. Doct. et Physici, MART. KOCHEN, Senatoris, ANDR. KRVEGER, VLRIC. CLEM. MICHAELIS, Confulis, SOPH. ELISAB. PAHLIAE, MAR. HEL. POLISIAE, MARIAE PFELLIAE, FRID. THEOD. RANGONIS, MART. RVECKEFORT, CHRIST. SCHADELOCKEN, Med. Doctoris, SAM. SCHAVM, Senatoris, SARAE SCHILTZIN, IOACH. SCHMIDEN, arcis Regiae Praetoris, MART. SCHOERCKELII, NICOL. SCHVLTZEN, IOACH. STRECKER publici iuris facta, praeter uitas, alia saepe non inelegantia ex historia sacra et ciuili, ex antiquitate, ex mythologia complectuntur. Vnde ab eo, qui possidet, consuari vtiq. merentur. a)*

*Integra strenarum ciuiliu historia a prima origine per diuersas Regum, Consulum et Imperatorum Romanorum nec non Episcoporum aetates ad nostra usque tempora deducta, et quoad nomen, auctorem, materiam seu munera, tempus et vota illustrata, Lips. et Hal. 1670. 4. b) hunc librum beatus auctor multis accessionibus locupletatum reliquit.*

*Strenae Ecclesiasticae, quae Duumiri clarissimi et de Ecclesia CHRISTI optime meriti Theologi Dn. IACOBVS HERRENSCHMIDT in Sirenographia Rhetica, et Dn. D. IOSVA STEGMANN in Icone pietatis suo quisque loco et tempore conscripserunt, obrulerunt, ediderunt, in vnum fasciculum collectae et ex multis aliis piorum et deuotorum uirorum meditationibus auctae, Lubec. 1677. 4.*

*Bibliotheca realis Theologica, omnium materiarum, rerum et titulorum in vniuerso sacrosanctae Theologiae studio occurrentium, ordine alphabetico disposita, vt primo statim aspectu tituli, et sub titulis auctores iusta uelut acie collocari in oculos pariter et animos lectorum incurrant, Francof. ad Moen. 1685. fol. c)*

*Biblio-*

- a) *Lubecae quoque Programmata conscripsit uir industrius, quemadmodum bina Programmata in funere BERN. DIETER. BRAVERI, Confulis et HENR. SEEDORF I. V. D. Lubecae 1686. euulgasse eundem nobis affirmavit OLAVS HENRICVS MOLLERVS, uir Musis nostris amicissimus.*
- b) *Hunc librum denuo typis excutum Lipsiae a. 1677. 4. prodiisse scribit idem, quem modo laudauimus, MOLLERVS. Dignum censuit hunc eximium LIPENIANI ingenii foetum IO. GEORG. GRAEUIVS, quem Tomo XII. Theauri Antiquitatum Romanarum infereret.*
- c) *IOACHIMVS FELLERSVS in Actis Eruditorum Latinis d. a. 1685. p. 403. sic de LIPENIO iudicat. Nec infelicitate immensa illa opera uir scholasticus alias laboribus circumuallatus fuit defunctus. IO. FABRICIVS, aeternum Academiae Iuliae ornamentum, in Historia Bibliothecae suae P. III. pag. 175. Bibliothecae Theologicae mentionem facit, et varios errores a LIPENIO in eadem commissos modeste corrigi. De ipso LIPENIO sic iudicat. Uir fuit integre probus, proleque integer, pacis ac concordiae amantiſſimus, a*

Bibliotheca realis iuridica, ib. 1679. fol. d)

Bibliotheca realis medica, ib. 1679. fol. e)

X 3

Biblio-

litibus et rixis alienissimus, motusque omnis indecori abstinentissimus. IO. FRANCISCUS BVDDEVS, immortalis nominis Theologus, in obseruationibus ad IO. ANDR. BOSII notitiam scriptorum ecclesiasticorum p. 50. editionis, quam Cel. IO. GEORG. UALCHIVS, lenae a. 1731. typis excubendam curauit, de LIPENII bibliotheca theologica hoc iudicium tulit: eum ad ordinem materiarum libros magna diligentia disposuisse. IO. FRID. MAYERVS in bibliotheca biblica p. 44. in hanc sententiam pronuntiat: MARTINVS LIPENIVS post vulgatas bibliothecam realem iuridicam, medicam et philosophicam, non dubitauit etiam theologicam, ingens et arduum opus, edere, in quo sub titulis alphabetico ordine dispositis magno saepe numero, vti nam tanto selecta tantaque accuracione! libros enarrauit. Inter illos titulos nomina quoque et inscriptiones librorum biblicorum et sub his commentatores varii generis ac idiomatis, tantaque, quanta nemo ante eum exhibuit, copia nominati reperiuntur. Praeterquam uero, quod ut dixi, parum interduum accuratus est, nullum quoque adhibuit discrimen uel actatis, uel religionis, quod non mediocriter in eiusmodi scribendi genere necessarium esse, non dissitebitur. Auctor Bibliothecae portatilis exegeticae in praefat. p. 9. ita scribit: In Bibliotheca Theologica LIPENII splendidissimam coniciatoribus accendi lucem, quippe in qua omnes materiae, res ac tituli in vniuerso S. S. theologiae studio occurrentes continentur. IDEM scriptor I. C. LIPENIVM uirum doctissimum et famigeratissimum uocat. Audiamus nunc IACOBVM FRIDERICVM REIMMANNVM, qui in catalogo Bibliothecae suae p. 90. et 91. sic fatur: MARTINI LIPENII bibliotheca theologica magno labore ac studio congesta omni scriptorum theologicorum genere ita abundat, ut mole sua laborare uideatur. Sane huius commutis copiosorem elenchum orbis eruditus non uidit. Nec tanto exercitui dux defuit, sed duci tempus, locus, occasio, hoc milites omnes ac singulos, quae decet, diligentia huiusmodi et iusta acie collocandi. Atque hinc natae, quae in ualidissimo hoc corpore eruditorum oculos offendunt, maculae. Ex vno scripto ac scriptore interdum facti sunt plures. Ex pluribus vnus. Nomina Auctorum quorundam, operum atque locorum corrupta. Anni impressionis deprauati. Inedita habita pro editis. Omissa etiam nonnumquam, quae omnium prima censenda erant, et alia adducta inferioris plane, uel nullius ordinis, uel si omnia non sunt, eo tamen loco non producta, quo debuissent. Et quae sunt alia huiusmodi metalli a uiris eruditissimis notata. Quae tamen de laude auctori debita parum uel nihil deceperunt, quam impossibile profus sit in re tam difficulti, et operosa non labi, errare, decipi. Idem uir doctus in Specimine Introductionis ad Historiam literariam p. 247. LIPENIVM methodum IO. KOELMBERGERI, qui statum Mercurialem Theologicum Helmstadtii a. 1661. edidit, seruasse, eiusque uitulo per saepe arasse decernit. In eadem sententia est SCHUINDELIVS in bibliotheca exegetico biblica pag. 14. Recensetur quoque haec bibliotheca dans les Nouvelles de la republique des lettres a. 1686. p. 217. Lepidum errorem commisit ANTON TEISSERIVS, qui in auctario catalogi Auctorum et bibliothecarum p. 199. bibliothecam theologiam a. 1690. prodidisse putat, quum tamen eadem iam a. 1685. lucem publicam uiderit.

- d) In Dedicatione bibliothecae iuridicae ad Senatum Lubecensem refert LIPENIVS se ante nouem annos hanc bibliothecam *Hallsi* concepisse, *Stettini* continuasse, *Lubecae* aboluisse et edidisse, se uel LOTHVM ex incendio Stietinensi, quod instabat, auspicijs Senatus Lubecensis ereptum esse. DANIEL GEORG. MORHOFFIVS in Polyhistoro T. III. L. VI. Sect. VI. §§. I. p. 579. editionis, quam magnus IO. ALBERTVS FABRICIVS, *Lubecae* a. 1732. euulgauit, ita loquitur: Parum hoc argumentum ornauit MARTINVS LIPENIVS, cuius extat *Bibliotheca Manualis Iuridica*, qui liber non est illa *αὐτοβιβλία* conscriptus, qua scribi debebat. Non enim, tale negotium suscipi debet ab homine extra iurisprudentiae sacra constituto. Putarim ego, perfectum talem laborem non nisi ab optimo ICto fieri posse. Quapropter FRID. GOTTLIEB STRVVIUS, qui nunc Duci Holsatiae a Consilijs, et primus in Academia Kiloniensi Ictus est, *lenae* an. 1720. nouis locupletatam accessibus Bibliothecam hancce denuo in manus eruditum tradidit. Sed audiamus BVRCARDI GOTTHELF STRVVIUM de fratris labore testimonium. Is Uir summus in *Bibliotheca iuris selecta* p. 5. in hanc sententiam respondet. Realis est bibliotheca MARTINI LIPENII, quae *Francosurti* 1679. f. prodit, atque suam utilitatem habet eo, quod secundum materias libri sint dispositi, licet non sine naeujs sit, in disponendis etenim libris non adeo est accuratus, immo etiam, si selectum quaevis, disputationes non raro et librorum quisquillas sub titulis saepe male electis reperies, quandoque et scriptores indicatos, qui, quoad titulum in solis catalogis biblicorum et uindalibus extant, et nunquam lucem aspexerunt. Locupletata indeque instructa haec *lenae* hoc anno 1719. f. prodit, ubi tamen ex pagellis iam impressis percipere potui, naeui indicati nondum omni ex parte sunt subliti. Atque HENR. CHR. SENCKENBERGIVS in Programme lectionum suarum auspicali *Goetingae* 1735. proposito p. 24. hunc in modum scribit: *Inuabit haec Ephemeridum et Nouellarum lectio, inuabunt Bibliothecae iuris STRVVIANA et LIPENIANA, praecipuis, si huius promissu incrementa contingant, quae sane ei peropas. Pae-* ne oblitus essem IAC. FRID. REIMMANNI, qui in Specimine Introductionis ad historiam literariam p. 268. *Bibliothecam iuridicam secundum plerumque ICtorum sententiam multis peccatis commissis et omnissonis inquinatam esse* dictatoria uoce pronunciat.

- e) *Varia, uti uaria sunt hominum ingenia, iudicia tulerunt uiri docti de LIPENIANO in extruendo Bibliothecae Medicae aedificio labore ADRIANVS BAILLETVS dans Jugemens des Sçauans sur les principaux ouvrages des Auteurs T. II. P. I. editionis nouissimae a MONNOYI, Amst. 1725. procuratae p. 42. ait: On ne peut pas douter, que cette disposition par les matieres ne soit la plus utile, mais on pourroit peut-être encore ajouter quelque chose à l'ordre et à l'exactitude, qu'il a gardée. Il s'y reconte aussi un bon nombre de fautes tant dans le nom des Auteurs que dans les titres des matieres, mais il faut considérer, que dans ces sortes de travaux les fautes sont presque inévitables, sur tout à l'égard des Livres étrangers, quand on n'a*

*Bibliotheca realis philosophica, ib. 1682. fol. f)*

Hoc quadripartitum opus Bibliothecarium stupendam prae se fert industriam (quam *Cel. FABRICIVS* in elegantissima Praefat. quae *LAMBECCII* Prodróm. Hist. Liter. ornauit, uocat *utilem et commendandam*) et insigni sua utilitate omnino se commendat. Quare iniquus profecto est nonnullorum conatus, quo has Bibliothecas omni laude student priuare. Equidem ab erroribus neutiquam eas immunes dicere audeo: audeo tamen affirmare, *LIPENIUM* inimicorum et obrectatorum acerbas censuras non mereri. Etenim quamdiu homines sunt homines, tandiu maxumae molis opera, praesertim historica, et a nemine antea tentata, non possunt sine omnibus erroribus elaborari. Dicat aliquis: Esse non prius in lucem procedenda, quam certo constet, omnes errores abesse. Uerum hac ratione multis operibus esset carendum, quibus, licet dici non possint omnibus numeris absoluta, tamen non sine ingenti fructu utimur. Deinde non omnis culpa tribuenda soli *LIPENIO*, sed et *DAU. CHRIST. ZEISSIO*, iuueni maxime industrio et *LIPENII* olim discipulo, praematura morte defuncto, *CHR. UALER. ZEISSIO*, illius fratri, et *DAN. SPRINGINSVGT*, Symmetiae UUismariensi, quos laboris socios in Praefat. gratas adducit. Quod uero Disputationes et minima etiam scripta citauerit, laudandum in eo esse censeo, minime, quae est nonnullorum opinio, uituperandum. Etenim illustria et magna opera satis alias cognita sunt ac facile memoriae nostrae occurrunt: exiguorum autem scriptorum, nucleum saepe exhibentium, imo interdum aliquid afferentium, quod in uastis uoluminibus frustra quaeritur, neque statim meminimus, neque etiam semper cognitionem habemus. Ista haec omnia sine dubio considerarunt ii, qui de harum Bibliothecarum defectibus non immodeste iudicarunt. Plura de iis legantur in *MORHOFF. Polyb. L. I. c. 18. §. 16. p. 200. g)* *HINCKELMANNI Epist. Bibliothecae Philos. praemissa. h)*

BAIL-

*pù les voir et les examiner par soi meme. Le Volume, qui contient les traités de Médecine n'est presque qu'une compilation de UAN DER LINDEN. In Diario, quod Journal des Savans uisitatione nomine uocatur a. 1680. n. 9. p. 118. hoc iudicium legitur. C'est un simple apparat ou disposition par ordre alphabétique de tout ce, qui regardé la Médecine, soit pour les matieres, soit pour les chefs, ou pour les titres, avec les ouvrages, tant anciens, que modernes, qui ont esté faits la dessus et les noms des auteurs, qui les ont composez. Comme UAN DER LINDEN est sans contredit le plus habile de tous ceux, qui se sont melez de faire de ces sortes de Bibliothèques pour la Médecine, cet auteur auoue de bonne foy auoir pris de celle de ce Medecin Hollandois la meilleure partie de ce, qu'il a compilé dans cet ouvrage, qu'il a mis dans le mesme ordre, que celui, qu'il a fait sur la jurisprudence sous le titre de Bibliotheca realis iuridica. HENRICVS MEIBOMIVS, quum ANTONIDIS UAN DER LINDEN de scriptis medicis commentarium, et SPAGHII nomenclatorem eorum, qui artem medicam suis scriptis illustrarunt, cum *LIPENIANO* bibliotheca medica confert, ait: Longe praestantior M. *LIPENII* labor est, et cum fructu insigni coniunctus, ut carere iam SPAGHII nomenclatore possimus. DAN. GEORG. MORHOFFIUS in Polyhistore Tom. I. Lib. I. C. XVIII. §§. 66. p. 210. Post illum, scilicet UAN DER LINDEN, inquit, secundum materias disponit Catalogo *LIPENIVS*, sed magna seges restat recentiorum scriptorum, quorum nulla in illo libro mentio. Et l. c. T. III. L. VII. §§. 3. p. 603. haec uerba posteritati reliquit: Post illos omnes telam banc iterum orsus est MARTINVS *LIPENIVS* in Bibliotheca materiali medica. Sub titulis, enim, materiarum Auctores digestit; sed multa illi sunt manca, multa et ipsalmata occurrunt. Optandum esset, ut a quodam rei medicae non solum, sed et philologicae, perito talis labor susciperetur. IAC. FRID. REIMMANNVS l. c. p. 276. Bibliothecam medicam ob plurima, quibus scetate, uitia necessario desiderare manum medicam praeca grauitate censet. Notamus deinde ANTONIUM TEISSERIUM in catalogo Auctorum et bibliothecarum p. 234. errorem, qui bibliothecam medicam *Francofurti 1579.* prodidisse scribit, quum tamen ea post integrum saeculum elapsum, nimirum an. 1679. a *LIPENIO* edita fuerit.*

- f) Bibliotheca philosophica, reliquis omnibus, teste *MORHOFFIO* in *Polyhistore* T. I. L. I. C. XVIII. §§. 16. p. 200. et *REIMMANNO* in *Specimine Introductionis ad Historiam literariam* p. 284. praefat. Tam late autem capit *LIPENIVS*, quemadmodum uere atque sapienter scribit *IO. FABRICIVS* in *Historia Bibliothecae suae* P. III. p. 177. philosophiae uocem, ut omnem etiam linguarum, antiquitatum ac sententiarum notitiam, omnem item ueterum ac recentiorum criticam, omnem historiam, philologiam, oratoriam, poeticam, et quidquid *πολυμαθίας*, aut *πνευματικής* nomine uenit, includat. Idem *FABRICIVS* quaedam minus apposite et perperam scripta in hoc opere sagaci ingenio emendat. *BVRG. GOTTH. STRUUIVS* in *bibliotheca philosophica* p. 3. hoc iudicium fert de *LIPENIANO* opere: *MART. LIPENII* bibliotheca realis philosophica *Francofurti* ad Moenum edita 1682. fol. in titulos digesta est, et quidem in eo laudem habet, ut de quauis materia, speciali etiam, qui scripserint, habeamus sub quouis titulo digestos, si modo meliori cum selectis id esset factum, et non quisquiliis saepe scriptorum intermixtae. Immo referuntur nonnumquam sub titulis, qui ad alios plane spectarent, ut facile adpareat libris non inspectis titulo saepius deceptum fuisse *LIPENIUM*. *IO. MOLLERVS*, illud praecipuum Cimbriae ornamentum, in *Sagae ad Hist. Chers. Cimbr. P. IV. p. 641.* *LIPENIUM* cortigit, qui in bibliotheca philosophica *MICH. KERSTENII* memoriam Bibliothecae *Hamburgensis* tribuit *IAC. REBELINO*, Senatus *Hamburgensis* typographo, e cuius officina prodit.
- g) *MARTINVS LIPENIVS*, *Sebolae Lubecensis* Corrector, scriptis quibusdam in lucem editis clarus, *Catalogos librorum in Iurisprudentia, Medicina, Theologia, Philosophia* congeffit, secundum materias distinctos, quod a

BAILLETTI *Judic. T. II. P. I. p. 46.* B. IO. FRID. MAYERI *Progr. ad Bibliothec. Biblic. inuitante p. 4.* vbi Bibliotheca Theologica uocatur *opus uastum atque eximium, et in hoc ipso argumento Biblico scriptorum maximam copiam suggerens, et in Bibliorb. Bibl. p. m. 44. 19. Nouuell. de la Rep. des Lettr. 1686. n. 10. Act. Erud. Lips. 1685. p. 403. Ephemerid. Erud. Ital. 1679. n. 9. Journal des Sçau. 1680. n. 9. p. 118.* BVRC. GOTTH. STRVUII *Introd. ad Notiz. rei lit. C. I. §. 21. p. m. 34.* vbi licet acriter iudicetur, non negatur tamen LIPENIANAS Bibliothecas *suam utilitatem habere* l) Cel. REIMMANNI *Introd. in Hist. Litter. P. I. p. 229. 247. 268. 276. et 284.* vbi Bibliotheca Philosophica reliquis praefertur. k) Mihi inprimis aridet iudicium Cel. RICHEII *in Not. et Animaduersionibus MSæ. in STRVUII Introd.* (luce dignissimis) *ad Cap. I. §. 21. his uerbis latum: MARTINI LIPENII Bibliothecae reales inter praestantissima subsidia collocandae sunt, quae librorum cupidis ad manus esse debent, ut non tantum de unoquoque argumento, quum opus est, discant, quinam scriptores de eo egerint, sed etiam ut in illas Bibliothecas, tanquam in penum communem, quotidie referant libros plures, praefertim novos ac selectos, quos in usum publicum de singulis argumentis progredire cognoscunt. Nemo ante LIPENIVM maiori cura et ordine commodiori istiusmodi opus aggressus est. Certe labores eius infra meritum plerumque laudantur. Utuperant saepe ii, qui tacite secum quam maxime utuntur. Quum autem in tam uastis operibus quaedam ueluti sit errandi necessitas, non desunt naevi plurimi, condonandi tamen modeste et emendandi potius, quam uiro optime merito petulanter exprobrandi. Quidquid uero tandem sit de erroribus Bibliothecarum LIPENII Realium, certum est, sua uem illam ex ordine alphabetico euoluendi facilitatem titulorumque et librorum copiam adeo commendatos facere hos labores, ut qui semel utilitatem eorum perspexit, non facile passurus sit tam praeclarum rei literariae adminiculum sibi deesse. l)*

De

multis haecenus desideratum. Libri omnes per interualla in folio editi, typoque grandiore, unde moles quidem et pretium librorum augetur, sed commoditas notandi praetermissa relinquitur. Reliquis tamen praestare Bibliotheca Philosophica et Theologica uidentur. Indices Auctorum Alphabetici adiecti. Vri-  
 lissimus labor esset, si omnes Auctores ueteres et nouos secundum materiarum titulos accurate dispositos haberemus. Sed fieri uix potest, ut in istis argumentis omnibus absolutum numeris opus haberi possit; Nam de  
 reeæ Cogitantes nauique labores semper heic locum inueniunt.

h) Immo, sunt HINCKELMANNI uerba, pariter ac insido mari te commissisti, quam primum ad eum te labore adduci passus es, ut scriptores tot gentium, linguarum et saeculorum per rerum capita nobis recenseres. In tanta, enim, turba, uarietate et affectata saepe inscriptionum obscuritate, qui fieri tandem potuit, quin subinde multa tuam industriam effugerent, multa falsa specie occurrerent, prima ita essent comparata, ut in ordinem uix cogi potuerint? Ut omitam, te uirum tot laboribus circumuallatum munusque publicum singulari semper industria ac fide administrantem, hinc tantae moll' omnino tandem imparem fieri: Cui sustinenda forte ne ille quidem sufficeret, qui omni otio, librorum copia, amicorum consiliis, et ingenio abundaret. Exegisti tamen opus, et meam (libere dicam) opinionem, sic quoque superasti. Et paucis interiectis sic pergit HINCKELMANNVS. Postea quam, enim, a tot saeculorum memoria, in quibus bonae literae partim floruerunt, partim post foedissimam barbariem in lucem et pristinum splendorem reuocatae sunt, nemo uis exortus est, qui sibi hoc labore posteritatem demereri uoluerit, aequum sane est, primam tuam industriam suo bono tanto minus cavere, quanto certior laus tuis olim uenturis proposita est.

i) Utilitatem, inquit STRVUIVS, suam habent bibliothecae LIPENIANAE, suos aequae naeuos, et quidem quod in disponendis libris non adeo sint accuratae, extantiores atque meliores libri saepe uel omisssi, uel perperam adducti, in recensendis uero disputationibus et librorum saepe quisquiliis referissimae.

k) Ita in genere de omnibus LIPENII bibliothecis sentit REIMMANNVS: Welchs grosse greuliche opus in der That mehr kostet, als es von den Gelehrten aestimiret wird. In quo iudicio ferendo aliquid affectibus suis indulgisse REIMMANNVM opinor.

l) Nunc eorum iudicia adponemus, qui de LIPENIANIS bibliothecis in vniuersum omnibus publice atque libere dixerunt sententiam, et quorum nullam mentionem fecit Cel. SEELENIUS. Agmen ducat illud non Lipsiae, non Hamburgi, non aeni sui, sed omnium, quotquot futura sunt, saeculorum incomparabile ornamentum, IO. ALBERTVS FABRICIUS, qui in praefatione ad MORHOFFII Polyhistorum pag. 5 in hanc sententiam respondet: LIPENIVS edidit uarias bibliothecas, meritisissimus eo nomine de literis, dignisque cuius bibliothecae accurato studio recensitaeque supplicantur diligenter in communes eruditorum usus ac continentur. Sequatur MICH. LILIENTHALIUS, cuius ingenium, doctrinam, iudicium et diligentiam suspicio, et amicitia eius faetor, in Notis MSæis ad STRVUII Introductionem, quarum autographum possidet uir iuuenis eximius, OLAVS HENR. MOLLERVS, ad C. I. §. 21. annotat. Bibliothecarum a LIPENIO editarum maior est fama, quam utilitas. Sed, qua ego sum animi erga uiros magnos aequitate, arbitror ipsum LILIENTHALIVM nunc hoc, quod iunioribus annis tulit, iudicium, non pro quo esse habiturum. Hunc excipiat doctus, sed ob portentosus, quas aluit, opiniones, infelix Theologus, IO. GVL. PETERSENIVS in epistola LIPENII bibliothecae theologiae praemissa: Gaude tibi eruditum saeculum de libro hoc Caetholico, in quo praesentes, absentes, medioximos, maximos, antiquos, recentiores uno quasi in Theatro intueris. Ostentat heic sua ingenia uirosque Hispania, suos ostendit Gallia, suos

8354

De his Bibliothecis augendis olim cogitavit VINCENT. PLACCIVS, verum *additiones* eius adhuc lucem non aspexerunt. Optandum esset, vt eruditorum virorum societas (vnus enim hominis aetatem et vires labor iste superat) Bibliothecas has diligentissime perlustraret, erroribus liberaret, et optimis libris ac scriptis augetet, Sic, enim, haberemus eruditionis praefantissimum subsidium. Sed isthaec ad pia historiae literariae desideria pertinent.

*Austria, Batauia suos, adsunt Germani, prodeunt Suedi, accedunt Dani, confurgunt Poloni. Immo quadripartita bibliotheca et ex quatuor facultatibus, et ex quatuor mundi cardinibus, Europa, Asia, Africa, America cardinales Auctores promit, et nec facultas nec angulus ferme sit, ex quo non aliquis hic scriptor prodierit. In hoc librorum libro velut in equo Troiano tot duces, tot lucos mundi, Dux vnus LIPENIVS inordinem & classen redegit. Gaude tu quoque studiosa natio, tibi seruit hic liber, tibi scribitur, tibi figitur. materiae disputationis deesse tibi non poterit, siue theologicam apes, siue iuridicam, seu medicam, seu philosophicam. Scripsum est, de quo scribere intendis, heic legis, quod legis. Audiamus THOMAM BARTHOLINVM in Epistola Bibliothecae Theologicae praefixa uenustis uersiculis experimentem uerissimum LIPENII elogium:*

*Verum LIPENIVS titulorum arcana recludit,  
Optima de claris exhibet ingeniis.  
Vindicat e tenebris quos lucem cerneve fas est.  
In scripro quod iam singula scripta docet.  
Doctrinae hic nullae pulchra instrumenta ministrat,  
In campum ducit, qui mentem reercat.  
Non oculos solos paciscit, fontem quoque monstrat  
Qui Phoebus Sacer est, Castalidumque choro.  
Hinc haurire licet, communis desluit ille,  
Non exauritur, non uitia ille capit.*

Venio ad GVLELMVM ERNESTVM TENTZELIVM, qui in Monatslichen Unterredungen a. 1689. pag. 99. scribit: Ich fan aus eigener Erfahrung sagen, dass ich zum östern gefunden, daß LIPENIVS aus einem Auctore zwey, ja wohl drey, und aus zweyen einen gemacht, auch manchen fremde Bornamen gegeben, welches große Confusion bringet. Idem uir clarissimus in praefatione ad dissertationes Selectas hunc in modum fatuit. *Operae precium duxi, seriem dissertationum moarum, occasionesque recensere, uel ea de causa, quod index bibliothecae MARTINI LIPENII ex me boatoque parente quinque diuersos auctores fecerit. Taceo, quod libros citet nunquam in rerum natura existentes, et qui alii sunt eius errores. Agmen claudat NIC. HIER. GVNDLINGIVS, cuius iudicium, in T. I. Histor. literar. pag. 121. legitur: Außer GESNERO hat niemand die Historie der Gelehrtheit bishero methodo reali siue classica tractiret, als LIPENIVS. GUNDELINUS meint, er habe viele Auctores unter einander confundiret, und nichts gesehet, als die Namen dezer, die in dieser und jenen Bibliothek geschrieben. Die bibliotheca theologica und philosophica sey iedoch accurater, als die andern. Hingegen stehet das Journal des Sauians in denen Gedanken, als sey die bibliotheca medica aus des von der LINDEN Tractat de claris medicis angegeschrieben, als woraus auch MORHOFF seine Censur genommen hat. Allein HENR. MEIBOMIVS, der selbst ein gelehrter Medicus gewesen, und in re literaria treffliche Wissenschaft gehabt, hat den LIPENIVM daher defendiret, weil sein obgedachtes Werck viel vollständiger, als des von LINDEN. JAMEIBOMIVS lobet vielmehr jenes, als eines von denen besten, von denen so bishero ediret worden. Mententur quoque ea legi, quae Idem GVNDLINGIVS de LIPENIO dixisse fertur Histor. literariae T. IV. p. 607.*



X 388739

118



FR. 132

4

II n  
8354

LECTORI  
S. S. D.  
GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN.

IO. HENR. DE SEELEN

S. S. THEOL. LICENTIATI ET GYMNASII  
LVBECENSIS RECTORIS

U I T A  
MARTINI LIPENII,

RECENSUIT ILLAM,  
EDDIT, ET NOTVLIS ILLVSTRAUIT  
GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN.

SCAEUOLA SAMMARTHANVS  
in Dedicatione Elogiorum Gallorum Saeculo XVI. doctrina  
illuſtrium ad IAC. AVG. THVANVM

*Forſan et e nobis aliquis quum legerit : Iſte,  
Dicit, erit noſtri pars aliquando ebori,  
Quamque aliis operam praefat pius, ipſa merenti  
Poſteritas grata reddat amica uice.*

L I P S I A E,  
EX OFFICINA IO. CHRIST. LANGENHEMIL  
A. R. S. CIſIOCCXXXVII.

